

tior Armamentariis ; quam ratione, quam violentia ; jure,  
quam injuria vincere praeclarus censetur. Reip. Christia-  
næ Scholarumq; permagni interesse, conservari cum  
Libros, tum Bibliothecas, nemini mortalium nisi  
Vervicum in patria nato queat esse obscurum. La-  
terent nos Mundi incunabula, & stupenda Dei facta :  
laterent Prophetarum Oracula, Judicium Acta, Re-  
gumq; ; imo & ipsius Salvatoris & Apostolorum ge-  
sta, si literarum librorumq; careremus subsidio. Hoc  
destituti nec Patrum scripta, nec Concilia, nec Hære-  
ses, nec Martyria, nec Ecclesiæ Traditiones, nec Con-  
stitutiones, nec id genus mille alia haberemus. Scho-  
larum item salutem pendere ab librorum salute, vel  
indepitat, quod nec Ecclesiæ, nec Scholæ sine libro-  
rum copia propagari conservarique possint. Ulti e-  
nim sine Sole Sol videri nequit : Ita nec sine literarum  
Lumine, quod in libris inest, spiratque, & viget, Erudi-  
torum monumenta nec intelligentur nec explica-  
buntur commode. Sunt enim libri Instrumenta à  
Deo benignissimo ad scientias in genere humano  
conservandas data. Quei vero divina hæc Instru-  
menta conserventur, nî constituantur Eruditionis  
Officinæ, constitutisq; præficiantur, quorum opera  
curaq; sollicita præstentur indemnes, & à temporum  
inuria tutæ. Hoc etiam atq; etiam securi expenden-  
tes terrarum Domini & Magistratus cordati nunq.

A 3

non